





1765, 11.

SPECIMEN
CONTINENS
CAPVT IVRIS CONTROVERSVM
DE
CAVSIS
CADENTIS IVRISPRVDENTIAE
POST TEMPORA
ALEXANDRI SEVERI A.

QVOD
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA
PRAESIDE
D. CHRISTIANO HENR. BREVNING
PROFESSOR. PVBLIC. ORDIN. IVR. NAT. ET GENT.
ET SOCIETAT. LITER. DVISBVRG. SOCIO

PVBLICE
IN AVDITORIO PHILOSOPHORVM
DIE XXV. APRIL. ANNO CIDICCLXV.
DEFENDET
FRIDERICVS GOTTLIEB LEHMANNVS,
DIPPOLDISWALD.

LIPSI AE
EX OFFICINA LANGENHEMIA.

2

CAVAT IYIE GONTROVERSVN
DE
G A V S I S
CADENTIS IVLISRWENTIAE
POST TANTIA
ALEXANDRI SEPTIMI
IMPERATORIS CAESARIS
D. CHRISTIANO HENR. BEBING
PUBLIUM
LIPSIÆ
MDCCLXXII



DE
CAUSIS
CADENTIS IVRISPRVDENTIAE
POST TEMPORE
ALEXANDRI SEVERI A.

§. I.

In tractanda tradendaque Iuris ciuiliſ Romani et in hac, maxime Pandectarum hiſtoria, quae diſciplina tum vtilitate ſua, tum iucunditate mirifice delectat, ſaepe mirabar, quae ſit cauſa, cur poſt Conſtantii tempora nullorum ICtorum fragmenta a Pandectarum compilatoribus excerpta huicque operi inſerta ſint. Quod ſi enim aetates ſingulorum ICtorum reſpicimus, quorum doctus labor per fragmenta nobis cura Iuſtiniani ſeruatus fuit, pauciſſimi erunt, qui Conſtantini M. aetatem attigerunt. Et videtur ſane haec iam epocha tanta amplius non produxiſſe inter ICtos ingenia, quanta adhuc ſub Alexandro Seuero floruerunt. Neque vero arbitror, quenquam fore, qui deliria illorum et ſomnia probet, qui forſan *Caium* ad Iuſtinianeam epocham referant, quo noſtram impugnent opinionem. Sane decantatus eſt error, vt refutatione non egeat. Sed dabimus ante omnia litis noſtrae certam ſpeciem, quo dein opinionem atque coniecturam noſtram perſpicuam reddere queamus.



§. II.

Compilari iussit suo tempore Iustinianus Imperator Pandectas, non quod Ictros leges vellet fuisse, et ut leges comprehenderent, sed ut Iurisperitorum opiniones in foro et receptas et si lex deficeret recipiendas in unam quasi consonantiam deduceret. Ab antiquis reipublicae Romanae temporibus legum interpretatio et cum hac Ictri inualuerunt. At non verborum tantum sensum grammaticum legum exponebant, sed vim ac rationem earum tractabant, ita, ut, si deficerent normae scriptae, ad alia themata traherent applicata legis ratione, vel ob eandem admodum specialem suo themati darent legum dispositionem. Hinc oriabantur fori disceptationes. Non quidem ibo incicias, forsitan Ictros et inter se de vario iure applicando ex LL. rationibus disceptasse suasque sibi inuicem opiniones argumentaque manifestasse sententiaeque illi palmam studio veritatis dedisse, quae optimis firmissimisque argumentis munita videbatur; sed fori disceptationem hanc litem priuatam et iuris altercationem dictam, vix probari potest. Quare potius sententiae BACHII in *Hist. Iur.* p. 261. sq. assentior, qui, quae a Iurisperitis coram iudicio centumuirali pro impugnanda defendendaque controuersa causa afferebantur, fori disceptationem dictam arbitratur. Neque negari potest, *forum* saepius pro *iudicio* dici.

§. III.

Caeterum harum disceptationum in foro haec mihi videtur causa. Quodsi enim dubia iuris causa in litem deducebatur, ad hastam centumviralem causa remittenda. Si vero de facto dubio, quod ex certo iure diiudicandum esset, iudici pedaneo videtur causa commissa. Necessario ergo is, qui actori patrocinabatur, sua afferebat argumenta, quibus iudices in actoris partes trahere possent, cum contra rei patronus haec actoris argumenta refutaret atque contraria peroraret, quo centumuiros iudices in suam declinaret opinionem. Patet id ex celebratissimo illo *iudicio Curiano*,
apud



apud CICERONEM *de Orat. I. 39. et 57. in Bruto c. 52.* Et ex contro-
uerſia de legitimo matrimonio nuncio priori vxori non remiſſo
apud eundem CICERONEM *de Orat. I. 40.* Quare quamuis diſſen-
ſus veterum ICtorum non negem, tamen ex his exemplis, quae ad-
duxit BACHIVS *Hist. Iur. p. 231.* eos ego non probarem, quippe
ea exempla ad agitataſ lites ſpectant magis, quam ad ICtorum diſ-
ſenſiones. Vtebantur ergo ICTi in orandis cauſis legum argumen-
tis et rationibus. Inualuit poſtea, vt et ſuis argumentis robur hoc
adderent, ſi ad autoritates aliorum prouocarent ICTi in tractan-
dis iurium controuerſiſ, cuius rei innumerabilia extant in ipſo Di-
geſtorum opere exempla. At vero a quo tempore frequentior
factus eſt reſcriptorum vſus, haud raro ICTi probe quidem ſcien-
tes, reſcripta non facere ius generale, tamen ad ea prouocabant,
ſuae opinioni quaſi autoritatem conciliaturi. Hinc in ſcribendo
pariter ac reſpondendo, quoties ipſa lex iurisque autoritas defi-
ciebat, incipiebant ad ICtorum ſcripta prouocare, vt ex iis, et
quid iam alii ſenſerint probarent, et ſuae ſententiae pondus adde-
rent. Euenit forſan inde, vt cum ſaepius contrariae ICtorum pri-
orum libris ineſſent ſententiae, ipſe Imperator Valentinianus III.
ſolis Papiniani, Pauli, Caii, Vlpiani ac Modeſtini libris et ſcriptis
autoritatem tribueret, donec reliquorum ICtorum autoritatem
reſtitueret Imperator Iuſtinianus, quod in compilatione digeſtorum
effecit. Notamus, BACHIVM in *Hist. Iur. p. 552. n. f.* Soli
Valentiniano adſcripſiſſe, quaſi ea lex in occidente tantum value-
rit, quod vix permittit §. 6. *Conſt. DEO AVTORE.* in quo
maniſteſſime Valentiniani Conſtitutionem correxit Iuſtinianus.

§. IV.

Iam vero duo veniunt inueſtiganda 1) quare iam Seculo
Theodoſiano et ante illud Conſtantineo deſierit ICtorum illuſtri-
orum copia, et 2) cur ICtorum illorum ſeculorum autoritas tan-
ta non fuerit, vt ex his capita excerpta ſint in opus Digeſtorum.
De vtraque iam dicamus: continebunt haec ſimul cadentis iuris-
prudentiae et cauſas et probationes.



§. V.

Prima illa quaestio praecipue ad nostrum thema spectat. Videtur utique post Alexandri Severi tempora decrescere et Ictorum numerus et autoritas, neque dubitandum, plures huius rei esse causas. Habent enim, ut in omni re humana esse solet etiam scientiae suas periodos, et quae his florebant seculis, sequentibus aliis vix veteris splendoris umbram retinent, donec penitus prope interiisse videntur. Crescebat Ictorum splendor cum republica romana, et fere quoque cum ea decreuit atque demum interiit. Dein a quo tempore suus mansit Ictis honos atque libertas, summa aluit haec disciplina ingenia. Hinc tot homines eruditos, tot magnos Viros habuit Respublica Romana libera. Nam cum sub ea epocha liberae Romae cuius, qui vellet, liberum esset, respondere de iure, quique sui fiduciam habebat, mirum non est, omnem diligentiam adhibitam fuisse in polienda hac disciplina. At vero a quo tempore libertatem amiserat Respublica, simul notoris aliquam partem amisisse videtur Iurisprudencia, maxime eo, quod Augustus certis tantum personis dederit facultatem respondendi de iure. At non defuere magna ingenia, ut Capitonis, Labeonis et aliorum, sed peperit simul illa restricta respondendi libertas *Seitae studium*. Et quis negat partium studia disciplinarum proficua esse.

§. VI.

Tandem a quo *rescriptorum* inuauit usus, summam vim passa est Iurisprudencia. Nam quamuis videtur rescriptorum is esse origo, ut per Tribuniciam potestatem sibi iurisdictionem aliquam sumerent, et si per libellos adirentur, controuersias rescriptis deciderent, tamen videntur rescripta citius suam deseruisse primam causam atque naturam ipsorum Responsorum induisse. Patet exinde, quod Caligula Imperator teste SVE TONIO in *Vit. Calig. c. 34. omnem Ictorum scientiam abolere voluerit, ne qui RESPONDERE possint praeter se*. Coniicio inde, plerosque, qui lites habituri



bituri essent, vel quibus controuersa fieret causa, adiisse Imperatorem literis supplicibus, suamque proposuisse controuersiam, ad quam, quid iuris esset, rescribat subnotando Imperator. Faciebant hoc eo lubentius, quo sperabant, maius hoc ab Imperatore datum rescriptum pondus habiturum in decidenda causa, confisi non facile iudicem ab ea sententia recessurum. Quo frequentius hoc contingebat, eo rarius consulebantur ICTi. Quo rariora efficiebantur responsa, eo maius decrescebat eorum autoritas eorumque studia, et si qui erant adhuc ingenia, vel ad consilia principis, vel ad iudicandas causas, adhibebantur, vel solum applicabant se ad formandos alios, rarioraque eorum fiebant scripta et minorem sibi parabant famam. Miror itaque SCHVLTINGIVM *Orat. pro Rescript. Imp.* defendisse rescripta, cum tamen indubitatae fidei sit, his ipsis Iurisprudentiae multum nocitum fuisse, quod forsitan perspexerat *Opilius Macrinus A.*, qui iure non rescriptis agi volebat constituereque veterum principum rescripta et forsam ipsam rescribendi rationem tollere. Sed non annuerunt fata.

§. VII.

Dein, si quae etiam scribebantur a ICTis maxime post Constantini tempora, magis vel solas explicationes conscribebant, atque quaecunque alia conficiebant, haec solis antiquiorum ICTorum autoritatibus et Imperatorum rescriptis firmabant. Hinc fiebat, ut ad antiquiores ICTos tanquam ad legitimae scientiae fontes recurrerent, qui in iure proficere volebant. Clarissimum rei argumentum extat in *Consultatione veteris ICTi de pactis*. Quisquis enim autor fuerit, quae dixit vel ipsorum Codicum autoritate corroborauit, vel priorum ICTorum scriptis in rem suam excitatis probauit. Defecit itaque celebritas illa, quam suis studiis veteres ICTi affecti erant, maxime post tempora Alexandri Seueri, quibus ob professionem Iurisprudentiae prope sublatam, ipsa Iurisprudentia simul interiisse videtur.

§. VIII.



§. VIII.

Iam ergo facilis erit quaestionis alterius diiudicatio, cur post Constantii tempora viuientium Iureconsultorum libri non aequè excerpti atque in Digesta relati per capita, quod signum Iurisprudentiae lapsae. Quod si enim ex superius deductis facile patet, post Constantini M. eiusque filii Constantii tempora summum fuisse rescriptorum studium, summam auctoritatem, ut adeo summus iureconsultorum labor in conquirendis his rescriptis, quasi fons essent omnis humani iuris ciuilibus, occuparetur, praeterea vero post illa tempora florentes ICTi vel parcius de iure scriberent, et quae ab illis scripta essent, vel rescriptis confirmata vel auctoritate veterum ICTorum suffulta; non poterat aliter fieri, quam, ut si quae etiam celebriora essent scripta, haec negligenter, partim quod ea Rescripta, quae Iustiniani tempore adhuc usum praestare possent, Codici Repetitae praelectionis inserta essent, partim quod potius ea scripta excerptenda viderentur, quorum auctoritatem sequebantur ICTi illius aetatis, maxime cum ante Iustinianum Theodosiano seculo eorum, qui Alexandri Seueri tempora attigerant ICTorum, et ante ea tempora vixerant, scripta ad causas decidendas adhiberentur, summamque auctoritatem nacta. Vix ergo fieri poterat, ut *Herois Patricii*, vel *Herois Eudoxii*, vel *Domini* et aliorum quorum nomina nobis seruauit Historia, scripta per capita inscriberentur digestis, quippe pauca imo paucissima forsitan fuissent, quae non ab aliis iam ante dicta fuissent.

T A N T V M.

ULB Halle
005 423 643

3



SB

7 felder







1765, 11.

SPECIMEN
CONTINENS
CAPVT IVRIS CONTROVERSVM
DE
C A V S I S
CADENTIS IVRISPRVDENTIAE
POST TEMPORA
ALEXANDRI SEVERI A.
Q V O D
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA
P R A E S I D E
D. CHRISTIANO HENR. BREVNING
PROFESSOR. PVBLIC. ORDIN. IVR. NAT. ET GENT.
ET SOCIETAT. LITER. DVISBVRG. SOCIO
P V B L I C E
IN AVDITORIO PHILOSOPHORVM
DIE XXV. APRIL. ANNO C I D I D C C L X V.
DEFENDET
FRIDERICVS GOTTIEB LEHMANNVS,
D I P P O L D I S W A L D.
L I P S I A E
EX OFFICINA LANGENHEMIA.

